



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

100. An saltem Parochus in die Natiuitatis Domini teneatur tres Missas celebrare? Et an nullus alius Sacerdos in illa die teneatur tres Missas dicere? Et notatur, in nocte Natiuitatis Monini posse ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

RESOL. C.

An saltem Parochus in die Natiuitatis Domini teneatur tres Missas celebrare?
Et an nullus alius Sacerdos in illa die teneatur tres Missas dicere?
Et notatur in nocte Natiuitatis Domini posse ante auroram Sacerdotes celebrare omnes tres Missas.
Etiamsque cursim aduertitur, quod Religiosi, quibus ex priuilegio licet vna hora ante diem celebrare, possunt duabus horis cum dimidia; imo & vno quadrante ante ortum solis celebrare. Ex part. 4. tr. 4. & Misc. Refol. 236.

Alibi pro utroque contento in hoc §. supra in Ref. 64. §. Notandum, post mediū vers. Deinde.

§. 1. **D**ixi saltem Parochus, quia, vt alibi probatum est, nullus Sacerdos in illa die teneatur tres Missas dicere; sed difficultas est quoad Parochum, & affirmatiuam sententiam docet Henricus in *sum. lib. 9. cap. 30. n. 6.* vbi affirmat, Parochum teneri tres Missas dicere eo die.

2. Verū contrariam sententiam tenendam esse puto, quam docet Bellettus in §. *is qui Cler. part. 2. §. 28. n. 2.* Quia sicuti Parochiani eo die non tenentur, secluso scandalo, & contemptu. Deinde Ecclesia concedit ex priuilegio tres offerre Missas in die Natalis Domini; ergo nemo tenebitur ex obligatione illas celebrare.

Sup. hoc in duabus precedentibus Ref.

3. Notandum est tamen hic obiter contra dictum Bellettum loco citato, & alios, in nocte Natiuitatis Domini posse ante Auroram Sacerdotes celebrare omnes tres Missas, & ita præter Doctores quos in *tract. de celebrat. Missarum* citauit, docet nouissimè Guilielmus Mercerus de *Sacram. in 3. part. D. Thoma 9. 83. art. 2. propos. 3. n. 1.* Gaspar Hurtado de *Sacram. disp. 4. de sacrific. Missa, diff. cult. 4.* Puteanus in *3. part. D. Thom. 9. 83. art. 2.* quia in canone, nocte sancta, de consecr. dist. 1. absolute; & sine vlla distinctione id concedit; quod verò in Rubrica Missalis tria tempora diuersa assignentur pro tribus Missis, non obstat, quia id tantum efficitur pro Missis solemnibus.

Sup. hoc magis late etiā quoad tempus in Ref. seq. §. ex his; & in aliis eius primæ annot.

4. Nota etiam secundò, quod Religiosis, quibus ex priuilegio licet vna hora ante diem celebrare, possunt duobus horis, & dimidia, imò & vno quadrante ante ortum Solis celebrare. Ita Hurtado *vbi sup.* & ego alibi.

RESOL. CI.

Sacerdos in qua hora possit incipere Missam?
Et inferitur Religiosos, quibus ex priuilegio concessum est per horam ante diem celebrare, posse etiam per tres horas ante ortum solis Missas dicere.
Et queritur etiam an Regulares possint illico post Matutinum, aut post duas horas media noctis celebrare ex priuilegiis.
Et an pro infirmo communicando liceat celebrare etiam media nocte? Ex p. 2. tr. 14. Ref. 33.

Sup. hoc infra in tr. 2. Refol. 47. ex doctrina §. 1. ad medium.

§. 1. **R**espondeo quoad inceptionem licitum esse incipere Missam in ipso initio Auroræ, sic sentiunt communiter DD. qui conueniunt nomine Auroræ intelligi crepusculum diei, vel primam Solis irradiationem; neque hoc debet consistere in indiuisibili, sed Missa potest celebrari, quando iam est proxima talis irradiatio.

Pro omni contento in hoc §. Ita-

2. Itaque prima opinio est Reginaldi in *praxi tom. 1. lib. 29. cap. 9. num. 173.* qui asserit per quadrantem horæ licitum esse celebrare ante primam Solis

irradiationem. Secunda opinio est Homoboni in *exam. Eccles. part. 1. tract. 4. cap. 14. 9. 136.* Henriquez in *lib. 9. cap. 24. n. 5.* Egidij de Coninch. in *3. part. 9. 83. art. 2. dub. 4. n. 217.* vbi ait, Initium diei, quo Missa possunt incipi, est initium Auroræ, aut circa illud scilicet mihora, aut circiter, ante ortum Solis. Tertia opinio est Azor. *part. 1. lib. 10. cap. 25. 9. 5.* Scortiz de *par. Miss. lib. 1. cap. 15. n. 8.* qui nomine Auroræ, intelligunt spatium vnius horæ cum quadrante ante radios solares manifestos. Quarta opinio probabilior est Ioan. de la Cruz *vbi infra concl. 2.* Peregrini in *comp. nostrorum priuileg. part. 1. tit. Missa. Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 80. sect. 4.* Ant. Fernandez in *exam. Theol. mor. part. 3. cap. 5. §. 14. n. 3.* Possuini de *off. Curati. cap. 8. n. 28.* & aliorum assentientium omnes Sacerdotes posse celebrare per horam cum dimidia ante ortum Solis. Imò aliqui addunt posse antecurrere initium tempus, vt Missa finiatur hora & dimidia incipiente ante Solis radios manifestos, quod est asserere, posse Missam incipi duabus horis ante ortum Solis in dios apertos. Quam sententiam sequatur est etiam Rodriguez in *sum. part. 1. cap. 47. n. 1.* & Fernandez *vbi supra*, & Paludanus & Victoria cum Præsignis in *4. tom. 1. dist. 13. quest. 2. art. 4.*

3. Ex his inferunt Suarez & alij, Religiosos quibus ex priuilegio concessum est per horam ante diem celebrare, posse etiam per tres horas ante ortum Solis Missas dicere, quicquid in contrarium aliter Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 4. n. 3.* & Valquez in *3. tom. 4. disp. 233. cap. 3. n. 27.* vbi asserit posse tantum per duas horas & dimidiam horam, non autem per tres horas. Sed plus ego addam cum Ioan. de la Cruz in *dir. 2. 2. p. 2. de sac. Miss. 9. 2. dub. 1. concl. 3. in fin.* posse illico post matutinum, aut post duas horas media noctis Missas celebrari ex priuilegiis.

4. Non reciteam Henrici *lib. 9. c. 24. n. 5.* facultatem concedere Sacerdoti celebrandi ante Auroram ob honestam causam, vt, v. g. commode iter summa perficiat. Sed hoc non admittit Layman *vbi supra*, est enim contra canonem, & consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ. An autem pro infirmo communicando liceat celebrare etiam media nocte, negat Henricus *vbi supra*, sed tu contrarium tene cum Victoria, de *Euchar. n. 95.* & Layman loco cit. & aliis.

RESOL. CII.

An Regulares, qui inter se habent communicationem priuilegiorum, possint, translata media nocte post duas horas celebrare Missam?
Et difficultas est, an Regulares hodie possint uti priuilegio concessio ab Alexandro VI. super hoc vel si reuocatum per Concilium Tridentinum, & Bullam Pij VI. Ex p. 10. tr. 12. & Misc. 2. Ref. 25.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondent ex priuilegio Alexandri VI. Martinus de San Ioseph. in *Monit. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 14. de Euchar. num. 4.* Ludouicus Caspensis, in *Cur. Theol. tom. 2. tract. 2. disp. 3. sect. 2. num. 60.* Dicastillus de *Sacram. tom. 2. disp. 4. dub. 4. num. 19.* Leandrus, de *Sacram. tom. 2. tract. 8. disp. 6. quest. 4.* & Cardinalis de Lugo de *Euchar. disp. 20. sect. 1. num. 27.* & 30. vbi sic ait: *Mixta est facultas, qua ex concessionibus Alexandri VI. relati ab Emanuele Rodriguez, in Bullario Regalarum, Bulla 13.* Alexander VI. possunt Monachi Benedictini facere sacrum duabus horis post mediam noctem; quod licet concessum fuerit soli Conuentui de Monteferrato, postea tamen Clemens VIII. in Bulla 22. relata vbi supra, extendit facultatem illis